





[Seite IX ff fehlt!]

1779, 20.

AN  
 FILIVS FAMILIAS MORTIS  
 CAUSA DONARE POSSIT ABSQVE  
 PATRIS CONSENSV EX PECVLIO  
 ADVENTITIO IRREGVLARI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
 PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIII. APRIL. ANNO MDCCCLXXIX.

DISPVTABIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS WENIGEL

ZIZENS.

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

AN  
FILIVS FAMILIAS MORTIS  
CAUSA DONARI POSUIT ABSQUE  
PATRIS CONSENSU EX PROCVLO  
ADVENTITIO IRRIGVARI  
ILLVSTRIS ROTVRYM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR PUBLICO ORDINAT. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LIBERAE UNIVERSITATIS  
1701  
IN AVCTHORO IO. IARIDICO  
DIE XIII. APRIL. ANNO MDCCXXI.  
DISPVARIIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS WENIGEL  
SINCE  
P R A E S I D E  
EX OFFICINA LANGENHEIMIA



AN  
FILIVS FAMILIAS MORTIS CAUSA  
DONARE POSSIT ABSQVE PATRIS  
CONSENSV  
EX PECVLIO ADVENTITIO IRREGVLARI.

---

§. I.



Antiquis Reipublicae temporibus vniuersalem fuisse regulam, ex qua quidquid acquirebant liberi, patri acquiratur, tam certum est, ut non egeat probatione aliqua. At post factum est, ut ab hac regula vniuersali recederetur, cum sub *Caesare* filius familias id daretur beneficium, ut quae per militiam acquirent, sibi haberent atque de iis testarentur. Nec taxandus Imperator *IUSTINIANVS* in *pr. l. quib. non est permiss. facere testam.*

## IV

sciam. qui sub *Augusto* origines castrensis peculii posuit. Rem clarius tractat *VLPIANVS* in *L. i. x. de testam. milit.* Primis enim temporibus temporarium tantum fuit beneficium filii familias datum, donec post *Traiani* tempora perpetuum esse videretur factum. In reliquis acquisitis antiquum ius, antiqua illa regula mansisse videtur, excepto *quasi castrensi peculio*, quod interpretatione *ICTorum*, ducto a vera militia argumento ad togatam, introductum. Aliam paternae acquisitionis diminutionem statuit *CONSTANTINVS* in bonis maternis, quam diminutionem alii postea Imperatores ampliarunt, donec *IUSTINIANVS* omnem a liberis factam acquisitionem aduentitiam patri quoad proprietatem ademittit, relicto solo usufructu. Tandem factum videtur primum introductum illud, quod *aduentitium irregulare* seu *extraordinarium* dictum, in quo et usufructus patri delibatus. Nam cum cuique permittum esset, suae, quem vellet, liberalitati modum praescribere, contingere poterat, ut quis filio familias vel donaret, vel ultima voluntate relinqueret ea conditione, *ne pater habeat usufructum*. Acquirebat itaque filius familias et proprietatem, et usufructum, ita tamen, ut ex hac privati liberalitate patris familias iura et sic ius testandi non consequeretur.

## §. II.

At alia videtur ratio, a quo tempore postea iure comprobatur irregularis illa aduentitiae pecuniae acquisitio, quod demum *Nouellis* factum est, dubia videtur causa facta esse. Nam si *IUSTINIANVM* audimus in *Nouell. CXVII. cap. i.* non solum hanc liberalitatem quamcunque sub ea lege: *ne pater habeat usufructum* confirmat, verum si iustae sint aetatis liberi, dat licentiam *QVO volunt MODO* disponere de his acquisitis, seu, ut in Graecis expressum: *ναρ' ὅν βέλονται ΤΡΟΠΙΟΝ διαμένειν*. Modus

dus vero disponendi de rebus suis duplex est, *alius* inter viuos interuenientibus conuentionibus, *alius* per vltimam voluntatem. Cum vero genere posito, species continentur, non est, vt negemus filio familias alteram disponendi de rebus modum liberum, altero concessio. Vbi enim nulla exceptio vel distinctio facta in lege, nec ICtorum erit distinguere. Equidem putant Doctores, filium de aduentitio irregulari testari ideo non posse, quod in lege ipsa pro *paterfamilias* haud declaratus sit; sed repono: quamuis nominatim paterfamilias non dicatur intuitu aduentitii irregularis; tamen, cum ea, quae patri familias competunt iura, scilicet de rebus suis quoquo modo disponendi licentia, data sunt, implicite pater familias declaratur. Hoc eo magis verum, cum in idea filii familias libera de rebus disponendi potestas propter imperium paternum ne cogitari quidem potest. Quapropter concludo: cui id datum est, quod sine altero concessum esse nequit, videri alterum simul concessum; iam liberis sub potestate existentibus data est potestas quo modo velint de rebus aduentitiis irregularibus disponendi, quam potestatem habere nemo potest, quam pater familias seu, qui sui iuris est, si iustae sit aetatis, ergo verius esse videtur, concessio hoc iure, concessum simul esse, vt intuitu aduentitii irregularis patres familias habeantur.

§. III.

Iam ad *mortis causa donationem*. Hanc liberalitatem, quae videtur doctrinae iuris ciuili aduersari, per quam non licebat de vltima pacisci successione, quaeque pacti forma peragebatur, ex autoritate HOMERI *Odyss. P. v. 80.* apud quem Telemachus Vlyssi filius cum matris suae procis dimicaturus ob dubium victoriae euentum Piraeo amico mortis causa donat, receptam dicunt: Vix putarem eum errare, qui adserat, ex Grae-

corum moribus, quippe quibus hic donandi modus non incognitus fuit, romanis innotuisse, qui postea Homeri auctoritatem adhibuere ut hunc Graecis usitatum morem comprobarent. De Graecis praeter Homerum prouocat ad *Euripidem* et *Xenophontem* Everh. *OTTO ad pr. T. I. de donat.* Quo tempore haec liberalitas usu recepta fuit, vix liquido constat. Nemo vero eandem melius descripsit, PAVLO in *L. 35. π. de mort. caus. donat.* Si omnia quae exhibuit schemata Paulus coniungimus, facile patet omnem mortis causa donationem in se continere implicite conditionem hanc: NI ANTE MORTEM REVOCE-  
TUR. Neque enim tradendo rem, qui primus fuisse videtur modus, dominium transfert donator in mortis causa donatarius, neque promittendo obligatio existit, ut donatarius ius perfectum obtineat, sed vtraque specie spes in eum deuoluitur, se donatam rem habituram, ni donationem ante mortem reuocauerit, quae immutandae voluntatis libertas ex ipsa donatione donatori manet. Fit itaque dominus re iam tradita donatarius, si a donatore repetita non sit ante mortem, vel ius obtinebit exigendi rem donatam seu donatione mortis causa promissam, si promissionem morte confirmauerit, non facta reuocatione. Hinc venit, ut effectu conueniat cum legato, formam prae se ferat pacti.

## §. IV.

Quod autem mortis causa donatio effectu conueniat cum legato, patet partim ex PAVLO, qui apud IULIANVM notauit in *L. 15. π. de mort. caus. donat.* Hoc et, inquit, constitutum est et ad exemplum legatorum mortis causa donationes reuocatae sunt, partim ex IULIANO in *L. 37. pr. π. eod.* qui scribit: Illud generaliter meminisse oportebit, donationes mortis causa factas legatis comparatas; quodcumque igitur in legatis iuris est, id in mortis causa



*sa donationibus erit accipiendum.* Ex hac ergo regula inferimus, neminem mortis causa donare posse, quam qui legatum relinquere potest. *¶* Tam vero cum fideicommissa nouo iure per omnia exaequata sunt cum legatis, vt ab his ad illa, et ab illis ad haec conclusio detur, concludimus ex **VLPIANO** in *L. 2. π. de Leg. 1.* qui scribit: *Sciendum est, eos demum fideicommissum posse relinquere, qui testandi ius habent:* neminem mortis causa donare posse, quam qui testandi ius habet. Si enim omne id iuris est in mortis causa donationibus, quod in legatis, legata vero nemo relinquere potest, quam qui testandi ius habet, omnino nemo mortis causa donabit valide, quam qui testamenti faciendi iure gaudet.

## §. V.

Quamquam vero haec in regula vera, tamen exceptio in filio familias deprehenditur. Hanc exceptionem habet **MARCIANVS** in *L. 25. §. 1. π. de mort. caus. donat.* Ait: *Filius familias, qui non potest facere testamentum, nec voluntate patris, tamen mortis causa donare patre permittente potest.* Sed oritur quaestio, de quonam peculio mortis causa donatio a filio familias fieri permittatur. Absque dubio sermo tantum esse potest de profectitio peculio, quippe *Marcianus* aduentitii mentionem facere haud potuisset, cuius initia ad Constantini tempora referenda. De castrensi et quasi castrensi sermo esse nequit, quippe cum patris consensus in testamento filii, qui de eo testabatur, nullibi requiritur; hinc multo minus consensus patris in mortis causa donatione ex peculio illo militari requiri potest. At quid dicamus de aduentitio regulari? Sane, cum filius familias de aduentitio regulari nunquam testari potest, sed in eo ex Romani Iuris ordine ante Iustiniani tempora patrem intestatum heredem habet, non est dubitandum, quin utique pa-

tris

tris consensus sit necessarius. **Causa haec est:** cum illa donatio morte filii confirmanda, si effectum sit habitura, morte vero filii omne ius proprietatis in patrem devoluitur, cuius ius hoc modo diminueretur: et praeterea, cum patri ususfructus in regulari competit, nullo modo imminuendus, verius videtur, et si mortis causa donatio fiat a filio ex peculio regulari adventitio, patris omnino requiri consensum.

## §. VI.

Iam vero quid statuendum erit, si filius habeat peculium irregulare: an et in hoc patris consensus requiratur. Si communem sequimur opinionem, facillima erit causae decisio. Posito, quod filio familias haud competat ius testandi, ut communiter adserunt, neque legandi habebit facultatem, neque propria autoritate mortis causa donandi. Quapropter si donaturus esset, vix ea donatio consisteret, ni pater consentiat. Hanc opinionem confirmaret simul argumentum, quo adfirmavimus patris consensum necessarium in donatione mortis causa ex adventitio peculio regulari. Patris enim successio intestata, quam ob negatam testandi facultatem pater necessario habiturus, non potest permittere, ut ei invito partem eripiat, quod futurum, si invito eo mortis causa donaturus sit filius. Et cum praeterea sit beneficium, quod mortis causa donare licitum sit, cum testandi licentiam non habet, quod beneficium patris autoritas validum reddit, videri posset et ex hoc argumento consensus paternus in mortis causa donatione necessarius, etiam si ex peculio irregulari donet.

## §. VII.

Sed quidquid sit, putant tamen alii, inter quos est **STRUVIUS** in *Evolution. Controuers. Exerc. XL, Th. 23. p. 525.* qui negant

Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.







81 [Seite IX ff fehlt!]

1779, 20.

AN  
FILIVS FAMILIAS MORTIS  
CAVSA DONARE POSSIT ABSQVE  
PATRIS CONSENSV EX PECVLIO  
ADVENTITIO IRREGVLARI  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.  
SOCIO  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XIII. APRIL. ANNO MDCCCLXXIX.  
DISPVTABIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS WENIGEL  
ZIZENS.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.